Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

vos: exeuntes inde excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et exeuntes predicabant ut penitentiam agerent. Et demonia multa eiiciebant et ungebant oleo multos egrotos et sanabant.

Sequitur. Et precepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum. non peram, non panem, neque in zona es. sed calciatos sandaliis et ne induerentur duabus tunicis. **Beda.** Tanta enim predicatori in deo debet esse fiducia: ut presentis vite sumptus quamvis non provideat: tamen hos sibi non deesse certissime sciat. ne dum mens eius occupatur ad temporalia: minus aliis provideat eterna. **Crisostomus.** Hoc etiam eis commune precepit ut per habitum ostenderent quantum a divitiarum desiderio distabant. **Theophilus.** Instruens enim eos per hoc non esse amatores munerum ut etiam videntes eos predicare paupertatem acquiescerent: cum apostoli nichil haberent. **Augustinus.** Vel aliter: cum secundum Mattheum dominus continuo subiecerit. Dignus est enim operarius cibo suo: satis ostendit cur eos possidere et ferre noluerit. Non quo necessaria non sint sustentationi huius vite: sed quia sic eos mittebat: ut eis hec deberi demonstraret ab illis quibus evangelium credentibus nunciarent. Unde apparet hoc non ita precepisse dominum tanquam evangeliste vivere aliunde non debeant quam eis prebentibus quibus annunciant evangelium: alioquin contra hoc preceptum fecit apostolus: qui victum manuum suarum labore transigebat. sed potestatem dedisse in qua scirent sibi ista deberi. Solet item queri: quomodo Mattheus et Lucas commemoraverunt dixisse dominum discipulis ut nec virgam ferrent. cum dicat Marcus. Et precepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum. Quod ita solvitur: ut intelligatur sub alia significatione dictam virgam que secundum Marcum ferenda est: et sub alia illam que secundum Mattheum et Lucam non est ferenda. Potuit enim sic breviter dici. Nichil necessariorum vobiscum feratis nec virgam nisi virgam tantum. Ut illud quod dictum est nec virgam: intelligatur nec minimas quidem res. Quod vero adiunctum est nisi virgam tantum: intelligatur quia per potestatem a domino acceptam que virge nomine significata est: et que non portantur non deerunt. Utrumque ergo dominus dixit. Sed quia non utrumque unus evangelista commemoravit: putatur iste qui virgam sub alia significatione positam tollendam dixit. ei qui virgam rursus aliud significantem non tollendam dixit: esse contrarius: sed iam ratione reddita: non putetur. Sic et calciamenta cum dicit Mattheus in via non esse portanda: curam prohibet qua ideo portanda cogitantur ne desint. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est: ne quisquam eorum preter eam qua esset indutus aliam portandam putaret: sollicitus ne opus esset: cum ex illa potestate posset accipere. Proinde Marcus dicendo calciari eos sandaliis vel soleis: aliquid hoc calciamentum mystice significationis habere admonet: ut pes nec tectus sit desuper: nec nudus ad terram. i. nec occultetur evangelium: nec terrenis commodis innitatur. Et quod non portari vel haberi duas tunicas sed expressius indui prohibet: quid eos monet: nisi non dupliciter sed simpliciter ambulare. Quicunque autem putat non potuisse dominum in uno sermone quedam figurate: quedam proprie eloquia cetera eius inspiciat. et vi

vii. p.

de con. euan.